



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus V. Salus animæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

bescant, lingua ex improvise quiescet, & incomposita tua vox deficiet. S. Ephrem quod ludicris rebus abstinendum Christianis.

Unde suas didicere choreas? quis talia Christianus edocuit? non sanè hæc eos docuit Petrus, non Joannes, nec quis alius divinò Numine afflatus; verum ista draco antiquus suis voluminibus docuit. S. Ephrem. ibid.

Tripudia, choreæ &c. Plerumque vitia attrahunt. S. Francisc. Salef. Philoth. p. 3. c. 33.

Choreæ, sunt congregatio Parochianorum diaboli; pulsans campanam ad congregandum populum, tibicines &c. Sacerdotis locum tenet, qui cantilenam incipit; Clericorum, qui prosequuntur &c. Tales etiam sunt jumenta venalia, quæ in signum ornantur. Sicut subuleus, qui volens omnes porcos congregare, facit unum clamare; sicut diabolus facit unum cantilenam incipere &c. Broymard Choreæ.

## TITULUS V. SALUS ANIMÆ.

§. I.

*Quam Deo chara, desiderata.*

Num. I.

*Dicit suam, eâ sibi opus esse.*

*Ex Veteri.*

**S**alutare tuum expectabo Domine. Gen. 49. 18. ait Jacob. Et Luc. 2. 30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et alibi sæpe. Vide Concordantias. Christus Dominus, qui salutare nostrum est, vocatur *salutare Dei*: quia Pater æternus, propter nimiam charitatem suam, suum salutare vocat, quod nostrum est. Ipse ait II. 49. 6. *Dedite in lucem gentium, ut sis salus mea &c.* O benedictus, & glorificatus, sit talis Deus! qui ita nos diligit; ut salutem nostram, suam dicat. Diez. Amor Dei erga hominem.

*Est enim phasè id est, transitus Domini.* Ex. 12. 11. In amicis suis quodammodo ad patriæ libertatem transibat Dominus. Sic suum Phasè, sive Pascha, vocat Christus; dum nos educit morte suâ à captivitate. Ramirez in Apoc. 2. ep. 3.

*Quæsit Dominus sibi virum juxta cor suum.* 1. Reg. 13. 14. *Sibi* emphaticum est: quasi David totus ad utilitatem, voluptatemque, divinam pertineret. Hanc enim vim habent sæpe hæc prænomina. Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste.* Act. 13. 2. *Segregare mihi Saulum, & Barnabam.* II. 49. 5. *Formans me ex utero servum sibi.* II. 59. 16. *Salvavit sibi brachium suum.* Et passim alibi. Ubi Deus dicitur *sibi* facere, quod in nostram utilitatem facit. S. Basilius ad illa verba Ps. 97. 1. *Salvavit sibi dextera ejus*: non dixit, salvavit eos, sed *salvavit sibi*: immensâ enim benignitate usus, mortalium vitam suam dicit emolumentum. Mendoza in 1. Reg. 13. 14.

*Et super salutare tuum exultabo vehementer.* Ps. 20. 2. Id est, quod per eum salvasti homines, Filius tuus, qui Salvator est, exultabit. Addit quoque: *vehementer*: ut, quanta est copia in beneficio, tanta sit & gaudii magnitudo. Cassiodorus hic.

*Salvavit sibi dextera ejus.* Ps. 9. 7. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere; dex-

teram verò bonam actionem. Dicit autem hominum salutem ejus potentia opus esse: immensâ autem benignitate utens, suum quæstum hominum vitam ducere. B. Theodoretus hic.

*Tenui eum, nec dimittam; donec introducam illum in domum matris mee &c.* Cant. 3. 4. Gilbertus hic: in cubiculum genitricis, in illam cœlestem Jerusalem; quæ mater est omnium nostrum. Gal. 4. 26. Sed nunquid non jam ascendit ad Patrem? nunquid non jam præcessor introivit: pro nobis? quomodo tu introduces, quod ipse prior ascendit? tu magis indiges, ut ipse te ducat; cui dicitur Ps. 118. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Quomodo ergo introduces illum, quod jam ipse ascendit? ascendit quidem per se; sed adhuc in te fons existit, in te introducit, quod per se prior ascendit. Ramirez in Apoc. 3. ep. 3.

*Vadam mihi ad montem myrrhæ.* Cant. 4. 6. Hugo de Sanct. Viçt. sibi vadit: quia singularis amor est, quod homines prosequitur.

*Non feneravi; nec feneravit mihi quisquam.* Jerem. 15. 10. Sive: non profui; nec proficit mihi quisquam: nullus enim voluit tantum accipere, quantum ego tribuere desideravi. Salus enim creaturæ lucrum est creatoris. S. Hieron. hic.

*Ex te exiit mihi dux.* Mich. 5. 2.

*Ex Novo.*

*Oportet eum ire in Jerusalem, & multa pati.* Matth. 16. 21. Et Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum.* Nota ly *oportet*: non ait: oportet vobis Discipulis me pati. Tam immensâ ejus bonitas! ut ex nostra miseria eliceret necessitatem. Sylveira c. 42. in Joan. 12.

*Dominus his opus habet.* Matth. 21. 3. Solvitur pullus; quia Dominus necessarium eum habet. Vos estis pullus asina: quid vestri Filius Dei necessarium habet? quid à vobis expectat? Salute vestrâ opus habet; cupit, vos solvi vinculis peccatorum. Origenes hom. 37. in Luc. Necessariusne homuncio unus Creatori? tanti ducit Deus unum hominem; ut cum ipso quodammodo omnia possidere videatur; sine ipso nihil. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 8. sect. 1.

Ffff 3

obl. 3.

obf. 3. Nullā re, nisi hominibus, Deus opus habet. Sicut sol opus habet aere; ut illum illuminet; fons agrō; ut irriget: sic Dominus opus habet hominibus; ut eos beneficiis afficiat, ut dona eis summā munificentia largiatur, ut Ecclesiam suam ex illis construat, ut cœleste regnum illis compleat. Barradius tom. 3. l. 7. c. 8. Dom. Palm.

*Ecce Rex tuus venit tibi.* Matth. 21. 5. Nota particulas, dicite filiæ, *tuus, tibi.* Cur non dixit: venit omnibus? ut suum cuilibet homini ostendat affectum: cuilibet homini se totum dat; quia quilibet Deo omnia esse videtur. Etkobar antè cit.

*Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. 21. Non dicit, intra in gaudium tuum, quod tibi est paratum; sed in gaudium Domini tui. Licet enim beatitudo sit electi sempiternum gaudium; tamen multo majori lætitiā in ea Electis dandā ipse Dominus afficitur. Sylveira c. 22. in Luc. 12.

*Cum illud bibam vobiscum.* Matth. 26. 29. Non vult solus in Regno Dei bibere vinum; nos expectat. Nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes, lætitiā ejus demoramur. Origen. hom. 7. in Levit.

*Viderunt oculi mei salutare tuum.* Luc. 2. 30. Id est, Christum Salvatorem; qui dicitur salutare tuum, quia per eum decrevit Mundum salvare. *Notum fecit salutare suum.* Pf. 97. 2. Dion. Carthuf. hic.

*Videbit omnis caro salutare Dei.* Luc. 3. 6. Dicitur salutare Dei: quia nostram Iesus operatus est salutem; quam Deus reputat suam. Sylveira hic.

*Congratulamini mihi.* Luc. 15. 6. Mihi dicit, non ovi: ex quo apparet; quantum de hominis reparatione gaudeat: & propterea salus nostra gaudium ejus est. Hugo Card. hic.

*Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Luc. 15. 6. S. Gregor. hom. 34. sub initium notandum, quod non dicit, congratulamini ovi; sed mihi: quia videlicet ejus gaudium est vita nostra; & cum nos in cœlum reducimur, solennitatem lætitiæ ejus implemus.

*Congratulamini mihi, quia inveni drachmam.* Luc. 15. 9. Notabile est: quod omnes angelos convocat ad congratulandum, non drachmæ, non homini; sed sibi: quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventionem dependeret; & quasi sine ipsâ beatus esse non posset. Sanct. Thom. Aqu. 13. opusc. 63. 67.

*Manducemus, & epulemur.* Luc. 15. 23. Quia salus nostra Patris est gaudium, in quo nostrorum est remissio peccatorum. S. Eligius Noviom.

*Quia omnia dedit ei Pater in manus.* Joan. 13. 3. S. Chrysof. hom. 69. in Joan. traditionem hęc locō Fidelium salutem appellare mihi videtur. Teophylactus: *omnia dedit ei Pater in manus*, hoc est, quod credidisset ei salutem Fidelium. Aded adamavit salutem nostram, acsi hæc ei omnia esset. Sylveira hic.

*Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Joan. 17. 11. Richardus à S. Viçt. c. 10. in Cant. charitas circa eorum salutem tanta fuit; quod cum eos pretiō suæ mortis redemisset; non tam redemptos à se, quam à Patre sibi datos, commemorat. In tantum eorum redemptione exultat; ut non putaret magnum id, quod pro eis pertulit; sed videatur, eos, quos accepit, datos sibi potius in munere, quam emptos pretiō, vel recompensatione.

Num. II.

*Deus, & Filius, charissima saluti anime nostræ postponit.*

*In te speraverunt Patres nostri.* Pf. 21. 5. Nè duritiam quispiam putaret Patris, quod se Filius profiteretur non auditum, tanguntur ab ipso breviter illa, quæ gesta sunt. Eripuit enim populum Israel de terra Ægypti; eruit tres pueros de camino, liberavit Daniele de lacu leonum. Sed cum hæc tanta supplicantibus sive præstiterit, sive præstet; tamen *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ut implerentur videlicet scripturæ; & salus Mundi ipsius Passione proveniret. Cassiodorus hic.

*Quid faciam tibi Ephraim?* Os. 6. 4. Parentis in filios perditos monstrat affectum, ait S. Hieron. juxta illud Is. 5. 4. *quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Dion. Carthuf. mallet Christus animarum amator denuo crucifigi, quam sineret quempiam, quantum in se est, condemnari. Cornelius hic.

*Circuibat Iesus totam Galilæam.* Matth. 4. 23. Christus quod transfretat maria, quod loca circuit; non est res humani desiderii, sed causa est salutis humanæ. Ambulat Christus, non ut videret loca, sed ut homines, qui variis casibus perierant, inveniret, Sanct. Chrysol. l. 16.

*Iesus stetit ante Præsidentem.* Matth. 27. 11. Quomodo stetit? ut reus ante Judicem exactus. Quò animò? immobili, forti, constantissimò, imperturbatò; ad excipiendam sententiam, non ad liberationem: paratò, gliscenti, condemnari potius, quam absolvi: qui omnia retrò, antè duntaxat salutem nostram, posuerat. Sim. Cass. l. 13. c. 8.

*Quid est, quod me quærebatis?* Luc. 2. 49. Unum à Patre commendatum salutis humanæ negotium Christus D. habebat; cui sic incumberebat, ut, præ amore animarum, cætera omnia nihili haberet. Ardentissimè amabat Matrem; sed salutem humanam eò amabat ardentius, ut à Patre imperatam: quibus verbi, animæque, dulces ad invicem exprimerentur sermones, quemadmodum sponsus, & sponsa. Una utriusque hæreditas, una domus, una mensa. Denique propter hanc *relinquet ille Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Gen. 2. 24. Bæzat. l. 1. 2. c. 11. §. 10.

*Mulier, ecce Filius tuus.* Joan. 19. 26. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? quid

quid differis? jam venit hora. Mater tua coram te est, & Joannes, quem diligis. Latroni loqueris; & Matri non loqueris? intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis vulnera tua maternâ pietate considerat. Tanti scilicet Christo est salus animæ; ut prius de ea agat cum latrone, quàm cum matre de clientela. Arnoldus Carnot. ut. de 7. verb. Dom.

Deo sua gloria tantæ non est curæ, quantæ salus hominum. S. Chrysostr. in Pl. 113.

Quod sæpe numero dixi, id & in præsentia repetam: Deum scilicet non adeo suam spectare dignitatem, ut nostram salutem. Id. hom. 63. ex c. 11. Joan.

Num. III.

Plura de Dei amore salutis nostræ.

Ex Veteri.

*Non facies omne opus in eo.* Ex. 20. 10. Tertull. l. 4. adv. Marcion. c. 12. ita ille legit Dicendo *tuum*, de humano opere definit, non de divino: opus autem salutis, & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Pende illas particulas, opus salutis & incolumitatis: quàm aptè opus salutis proximi cum incolumitate copulavit. Escobar t. 2. Pet. Chr. l. 8. sect. 3. Obs. 1.

*Tollite summam univ. cognationis filiorum Israel.* Num. 1. 2. Oleaster: non est, Domine, impletus annus, quò eos numerari præcepisti; & jam iterum eos supputari vis? Quid est, quòd eos tam sæpe numeras? Certè Deus, diligens Hebræorum animas, omnium expetit salutem; nè vel unica ovicula erronea à numero recedat. Oleaster: nam quemadmodum, qui siti pecuniarum agitur, & eas diligit, continuò eas supputat: ita & Deus eos, quos diligit, supputare non desinit. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. Obs. 2.

*Unus est, & secundum non habet; non filium, non fratrem:* & tamen laborare, non cessat; nec fatiantur oculi ejus divitibus. Ecclæ. 4. 8. Hoc de Christo D. accipit Sanct. Ambros. l. de inlit. Virg. c. 10. *Ego sum pauper & dolens.* Pl. 68. 30. Si constitutus Rex super orbem, si in ipso omnes thesauri; quomodo pauper? Sanct. Chrysostr. inops, & pauper erat, quia nos esuriebat. Quia paucas animas ad se trahebat. Sylveira in Apoc. 7.

*In die lætitiæ cordis ejus.* Cant. 3. 11. Id est, redemptionis humani generis; quæ fuit dies lætitiæ Christi. S. Isidorus hic.

*In die lætitiæ.* ibid. Lætitia enim, & gaudium Christi, salus est, & redemptio humani generis. S. Thomas Aqu. hic.

*Ut faciat opus suum: alienum opus ejus &c.* Il. 28. 21. Bene salutem nostram, & Passionem illius Hæias contemplatus. Opus etenim Dei est, animas, quas creavit, colligere, & ad æternæ lucis gaudia revocare. Flagellari autem, atque sputis liniri, crucifigi, mori, atque sepeliri; non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris; qui hoc

omnia meruit per peccatum. S. Gregor. hom. 16. in Ezech. 3. circa finem.

*Non est, qui sustentet eam &c.* Il. 51. 18. Hic intellectu fidei opus est; ut sciamus, quàm necessarius Mundo fuerit Christi Filii Dei adventus. S. Rupertus hic.

*Gaudebit sponsus super sponsam; & gaudebit super te Deus tuus.* Il. 62. 5. Hoc est, ut ex Sept. & Chaldaeo, Sanct. Hieronymus: *sicut letatur sponsus super sponsam; sic gaudebit super te Deus tuus:* & tibi maritatus magnas, & clarissimas proles ex te procreabit; scilicet magnam copiam SS. Martyrum, Confessorum, Virginum &c. Nota cum Forerio: Deus, qui felicissimus est, & immenta majestatis, suas voluptates, gaudia, & delicias, in homine collocat: homines enim sibi desponsat, in ijs sibi complacet, illis gaudet, & fruatur, ut sponsus sponsam. Cornelius hic.

Ex Novo.

*Fiat voluntas tua.* Matth. 6. 10. Petimus, substantiam, & facultatem, voluntatis suæ subministrat nobis; ut salvi simus, & in cælis, & in terris: quia summa est voluntas ejus salus eorum, quos adoptavit. Tertull. lib. de Orat.

*Non omnis, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Matth. 7. 21. Voluntatis autem Patris est, ut Spiritum Sanct. homo suscipiat; & inauditò, novòque, modò regeneratus cælorum civis efficiatur. Sanct. Cyrill. Alex. l. 2. c. 40.

*Cum appropinquasset Jerosolymis &c.* Matth. 21. 1. Triumphalis Christi ingressus hic: In Iericho duos cæcos illuminavit. Matth. 20. 35. In itinere Zachæum cum tota familia convertit. Luc. 19. En festivissimi causa triumphi Christi; quòd magnis ditatus sit mercibus, salute humanâ. Sylveira in Luc. 19 c. 40.

*Gloria in altissimis Deo.* Luc. 2. 14. Gloria utique, qui desperatis mortalibus munus æternæ salutis exhibuit. S. Gregor. Naz. hom. in Nat. D.

*Ut cognovit, quòd accubisset in domo Simonis.* Luc. 7. 37. Etiam ipsum sanare cupiebat, nè gratis apud eum panem comederet. Ipsum pascentem esuriebat: ipsum emendare, ipsum mutare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus trahere, volebat. Sanct. August. lib. 50. hom. f. 23. Cibus Christi est salus nostra: reficitur cælestibus epulis, profectibus nostris. B. Eucherius in natali Ecclesiæ hom. 1. Cibus ejus penitentia mea, & cibus ejus salus mea. cibus ejus ego ipse. An non cinerem, tanquam panem, manducat? Ego autem, quia peccator sum, cinis sum, ut manducet ab eo. Mandor, cum arguor; glutior, cum instituor; decoquo, cum immutor, diggeror, cum transformor; unior, cum conformor. S. Bernardus f. 71. in Cant.

*Eccè anni tres sunt, ex quo venio.* Luc. 13. 7. Dicitur Christus querere, nec invenire: non quòd infœunditatem malorum ignoret; sed ut suam ad nos diligentiam, providentiamque, demonstraret. Et ut humanam declaret ignaviam; seque

leque pro nostra salute probet sollicitem, & examinatorem totius vitæ nostræ. Dion. Carth. hic.

*Misit servum suum.* Luc. 14. 17. Quod se non conjicit Deus, ut aliquam procurandæ salutis, & utilitatis nostræ, occasionem inveniat! Sanct. Cyrill. Alex. in Cat. S. Thomæ: iste servus, qui missus est, ipse Christus est: qui, cum esset naturaliter Deus, & verus Dei Filius, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Did. Niss. D. 2. Pent. 3. 4.

*Da mihi bibere.* Joan. 4. 7. Fatigatus est; sed in te: quia diu te quæsit. Tu illum tam diu incredulitas fatigavit. Non offenditur tamen; si modò venias: petit bibere, daturus. Bibit autem non aquam prætermeantis rivuli; sed salutem tuam: bibit affectum tuum; bibit calicem, hoc est, passionem, illam tuorum criminum redemptricem: ut tu sitim illius Mundi sacri pòlus cruore restinguas. Sanct. Ambros. l. 1. de Spir. S. c. 20. *Da mihi bibere.* q. d. citò convertere, & me potabis. Tu sitis ad culpam; & ego sitio te ad gratiam: tu sitis tuam damnationem; & ego tuam salutem, Hugo Card. hic.

*Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus.* Joan. 4. 34. Esuriebat JESUS salutem illorum: voluntas autem Patris est, ut convertant se peccatores. Theophylactus hic.

*Ego cibum habeo manducare &c.* Joan. 4. 32. Hinc discimus; quanta sit erga homines charitas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum conversionem. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 103.

*Ego sum via, veritas, & vita.* Joan. 14. 6. Joannes Raulinus f. 23. de SS. attende, Christus deiciat amore animarum. Via hominem in terminum ducit; sed quantò sui quòd Christus se non Ductorem viæ, sed ipsam viam, appellaverit: ut videas; quò se dispendiò? ab omnibus calcatur, protegitur.

*Sitio.* Joan. 19. 28. Sitebat Christus: sitebat planè, non potum hominum, sed salutem sitebat: non aquam mundi, sed redemptionem generis humani. Sanct. Maximus hom. 1. de elemos.

*Sitio.* Joan. 19. 28. Sacramentalem hanc sitim intelligo: in qua non tam desideratur potus, quam hominum salus. Arnoldus Carnot. tr. de verb. Dom. Domine, quid sitis? Ergone plus cruciat sitis, quàm crux? de cruce sales, & de sui clamas. Sitio! quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium: plus animarum vestrarum, quàm corporis mei, cruciatus me tenet. Drogo Ost. de fact. Pass. Expressit per corporis vocem, vehementem animæ suæ nostræ salutis affectum: sitebat enim salutem omnium animarum. Nec non sitis Christi aspicebat in mortem; et etiam mori pro humano genere vehementissimè affectaret. Et illius ineffabilis desiderii vox illa *sitio* erat indicium; quò voluntatem Paternam citò perficere nitebatur. Sim. Cass. l. 13. hic.

*Ecce sto ad ostium, & pulso.* Apoc. 3. 20. Cordis ostium pulso, promptè aperienti super salute sua gratulor; illamque opparæ; cœnæ locò duco: siquidem ijs rebus præcipuè capior, & pascor, quibus ipsi spiritum alunt, famemque audiendi verbum Dei sedant, ac erroris tenebras propulsant. S. Andreas Casar. in Apoc. hic f. 3. c. 9.

### Ex Patribus, & aliis.

Major cura salutis erga homines Deo est, quàm diabolo perditionis. Nunquid non sufficiebat Angelorum diligentia adversus insidias dæmonum? Et adversus eos, qui ad peccandum homines trahunt? Ipse unigenitus, ipse, inquam, Filius Dei adest, ipse defendit, ipse custodit, ipse nos ad se trahit. Orig. hom. 20. in Num. 25.

*In Calendis qua offeratis mihi in diebus festis meis.* Num. 28. 11. Ità legit Orig. Habet ergo Deus dies festos suos? habet: est enim ei magna festivitas humana salus. Quomodo putas lætificat eum, cum is, qui fuerat impudicus, fit castus; & qui fuerat impius, efficitur pius. Itæ omnes singulorum quorumque conversiones festivitates generant Deo. Id. hic hom. 23.

Tantus, Domine, tuus in me amor fuit; ut non per angelos, aut ullam aliam creaturam, salutis meæ negotium obieris: verum ut primam fictionem, sic etiam instaurationem, ipsemet efficiendam duxeris. S. Joan. Damasc. Or. 1. de B. Mariæ Nativ.

Nullà re perinde Deus delectatur, ut hominis; propter quem omnis doctrina, atque omnia mytheria concessa sunt; respicientiâ, & salute. S. Gregor. Naz. Or. 39. in sancta lumina.

Tu verè solus es Dominus: cujus dominari super nos, hoc est salvare nos: nostrum verò servire tibi, nihil est aliud, quàm à te salvari. S. Bernardus l. de amore c. 6.

Si diligenter advertas, quantum bonum tibi fecit: undique, & ex omni parte, ita invenies illum circa tuum profectum occupatum; quàm si nihil aliud faceret; quàm nisi tibi soli intenderet, & ad tuam salutem, S. Edmundus Cantuar. speculo Eccles. c. 7.

Voluit esse infans, puer, adolescens, juvenis, vir: ad ostendendum, quòd venerit pro salvatione omnium. S. Vinc. Ferr. l. 4. D. infra Oct. Epiph.

Ità tibi intendit Deus, ità tui curam jugiter habet; quasi tu solus in toto terrarum orbe viveres. Blossius parad. an. c. 2.

Comprehendi non potest, quantà charitate, quàm paternis visceribus, ubique nostram salutem ipse desideret, ac procuret. Nulla unquam mater tam tenerè dilexit filium uteri sui, quàm tenerè ille nos diligit. Fasciculus stuparum, in ingentem ignem missus, non ita repente incenditur; quàm repente Deus peccatis nostris, propter ineffabilem pietatem, & misericordiam suam, ignoscit; dum verè nos pœnitet vitæ malè actæ. Id. ibid.

Tam

Tam ardens, & incontinenſ, eſt Dei amor erga nos: ut, ſi mors, & Paſſio, Chriſti ad ſalvandum hominem non fuſſiſſent; etiam Pater cœleſtis, & Spiritus S. quoque humanam potiùs aſſumpſiſſent naturam, ac pro homine mortem ſubiſſent; quàm eum perire ſiſſent. Id. p. 3. Spir. marg. in Appendice.

Quæcùnque Dominus facit, pro ſalute noſtra facit. Iſid. Clar. or. 18.

§. II.

*Exemplò Dei, Chriſti; & tu ama, cura, ſalutem tuam.*

Num. I.

*Eam omnibus terrenis præfer.*

**N**on comedam, donec loquar ſermones meos. Gen. 24. 33. Eliezer, fidelis Abrahæ ſervus, itinere difficili perfunctus, ut è domo Bathuelis Iſaaco ſponſam adduceret: exceptus ſummâ benevolentia; *appositus eſt ei in conſpectu ejus panis.* Quid ad hæc Eliezer? *non comedam &c.* Ità ſtans longum ſermonem orditur; in quo commiſſi ſibi negotii ſeriem explanat. Verbo, in hoc primo congreſſu non cœpit ſolum, ſed planè abſolvit conjugii tractatum; & futuras nuptias ſtabilivit. Et tum primum loqui ceſſavit, cum audiit: *en Rebecca coram te eſt; tolle eam, & ſit uxor filii domini tui.* v. 51. Quid opus erat, ô Eliezer! tantâ ſeſtinatione? an timebas, nè opportunitas intercidat? aut nè parentes alteri Rebeccam deſpondeant? cur non priùs, feſſus ex itinere, vires reſcis? hoſpitalitate fruieris? & tum demum mandata exequeris? abſit! *non comedam &c.* Lyranus hic: in hoc oſtendit, habere ſe negotium impoſitum ſibi cordi. An vos curam animæ, non ſolum neceſſariæ corporis reſeſtioni, ſed cujuſvis recreationi, & ludis, antepoſitis? quem ſic loquentem audivimus? hodie me peccatò ſedavi; igitur *non comedam*, niſi toxicum hac confeſſione evomero &c. Quis ita agit, & loquitur? an non potiùs hæc animi negotia in ultimum locum ablegantur? quàm longè aliter Mundi negotia tractantur! &c. Segneri ſ. 7. die Merc. Dom. 1. Quadr.

*Diviſit que filios Læa, & Rachel &c.* Gen. 33. 1. Jacob revertens in patriam, ut iram Eſau obviam venientis vitaret armati; familiam partitiſ in turmas; in fronte poſuit ſervas Balam; & Zelpham-agmen clauſit Rachel cum Joſeph. Quorſum hic ordo? Videns le imparem reſiſtendo eſſe; id ſolum egit; ut, ſi pereundum foret, non omnem ſimul familiam periculo objiceret, ſed chariora tutiori collocaret locò. Oleaſter in Gen. 37. poſuit ancillas in principio, ut ſcilicet iram fratris minùs dilectæ exciperent priùs. Quò docuit: minùs dilectæ, pro conſervatione eorum, quæ magis diliguntur, eſſe periculis objicienda. Quid dicam? aut cogitem? dum video, vos primò omnium animam veſtram periculo objicere, eamque in agminis fronte poni? nunquid illa *Polyanth. Sacra. Tom. II.*

ancillæ locò à vobis habetur? pereat illa; modò dignitas familiæ, bona fortunæ; actiones, & negotia profana; filii, & filia; parentes, & amici; quin & ſcorta, equi, & canes, ſint ſalvi. **O** amendam! ô brutalitatem! Id. ibid.

*Salvum fac dexterâ tuâ.* Pfalm. 59. 7. Sanct. Auguſt. hic: non ſalutem temporalem quero; de hac fiat voluntas tua: ſed ſalvum me fac dexterâ tuâ. Tranſactâ nocte tribulationum, ad dexteram inveniar inter oves.

*Ut detur parvulis aſtutia.* Prov. 1. 4. *Eſſote prudentes ſicut ſerpentes.* Math. 10. 16. Serpens pro capite totum corpus objicit ſuſtibus, & gladiis: ita & tu, ô Chriſtiane, pro ſalute animæ tuæ, totum corpus, opes, & famam, objice. Cornelius hic.

*Si oculus tuus dexter scandalizat te, pe, manus; projice abs te.* Matth. 18. 8. 9. Ità legit S. Hieron. nulli parcas, ut ſoli parcas animæ. S. Hieron. ep. 4. Cur non ait, ſi ſiniſter? ut fieri poteſt. S. Thomas: quia dum jubentur amputari, quæ ſunt majora, & chariora; à fortiori & minorâ. Et ut nota Cajetanus, meminuit Dominus oculi, & manus, ut omnia genera utilium comprehendat. Quidquid enim, nobis utile; vel ad ea, quæ ſunt notiitiæ, quæ per oculum; vel ad ea, quæ ſunt actionis, quæ per manum ſignificantur; utile eſt. Sylveira in Matth. 5. c. 13. q. 2. Quid dexter oculus, ac manus ſignificant? S. Hieron. per dextrum oculum, ac manum, intelligit affectus, & vitia animæ, quæ, dum nocent, amputanda ſunt, apud eundem hic.

Quantò meliùs eſt, ſalutem habere ſinè pecuniâ, quàm pecuniam ſinè ſalute. S. Ambroſ. l. 2. offic. c. 17. Et iis etiam, qui ſunt in conubio, id Evangelium ſcribitur: *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, & da pauperibus.* Dic, quaſo, cum DEUM orâſti, ut natos ſuſciperes; addidiſtine illud: da liberòs ut cauſa ſint nè regnum tuum aſſequar? nõne cunctis liberis tibi conjunctior eſt anima tua? nõne omnium familiariffima? Huic tu primas da partes divitis hæreditatis; vitæ videlicet æternæ materiam; deinde filiis diſtribue. Sanct. Baſilius Caſar. l. 2. in divites avaros.

Impius eſt, qui animæ ſuæ pro ſuis parentibus eſt crudelis: majoremque hæc temeritatem nemo habet; quàm ut animam ſuam ponat ita periculòſè quis pro amicis ſuis. Bleſenſ. ep. 11. ad Clericum, ingreſſum religionis amore amicorum tardantem.

Num. II.

*Salus animæ negligitur, poſtponitur rebus vilibus.*

*Nefecerunt Sacramenta DEI*, id eſt, ſecreta futuri ſæculi; *neque mercedem ſperaverunt juſtitia; nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum.* Sap. 2. 22. B. Humbertus ſ. 91.

Ggg g

Si ſci:

*Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur, &c.* Matth. 24. 43. Hæc ad erubescenciam deficiæ mihi dicta videntur: majorem enim diligentiam habent, furem expectando; quàm vos salutis animæ: vigilant enim uno, nè aliquid sibi surripiatur. Sanct. Chrysol. hom. 78. hic.

*Stulte.* Luc. 12. 20. Pro imprudens. Et verè imprudens; quia non providit sibi de necessariis ad salutem animæ. Cajetanus hic.

Summa amentia est: ut cum diabolus animarum nostrarum perditioni tantoperè invigilet; nos contra pro nostra ipsorum salute non eandem adhibeamus diligentiam. Sanct. Chrysol. hom. 21. in Joan. 2.

Multos equidem novi; qui, etiam cum in morbo cubant; pecuniam salute suâ magis ament, & æstimant. Sanct. Asterius hom. adv. avaritiam.

## §. III.

*Salutem animæ curandi varia motiva.**Ex Veteri.*

**I**terum venio. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* Jos. 2. 21. Rahab, digressis exploratoribus, mox appendit funiculum coccineum in fenestra in signum; licet exploratores cuperent illud primum in adventu suo reperiri. Cur tam citò pactum fecit? cum vix ab illa abierunt; & post hoc ituri sint ad populum suum? Item prius de bello habendum consilium; Jordanis ab innumerabili multitudine transeundus, ordinandus exercitus, civitas obsidenda, & tandem expugnanda. Cur in opportunius tempus non differt funiculum appendere? Novit sapiens mulier, quod religatio funiculi ad fenestram erat suæ salutis medium: ideo non distulit: nullum æstimavit aptius tempus, quàm præsens. Bæza t. 3. l. 14. c. 17. §. 7.

*Animam meam porto in manibus meis.* Job. 13. 14. Id est: nulla est ratio, quare salutem animæ meæ parvipendam. Illud enim, quod in manibus portatur, de facili amittitur. Unde videtur, quod ejus amissio non multùm timeatur: quæ enim aliquis amittere timet, diligenter abscondit. Sanct. Thomas Aqu. hic Lect. 2. Ecclesiastes c. 3. 1. &c. Omnibus rebus assignat suum tempus rectum; circa animæ salutem habendam planè silet. Ad lucrum salutis nullum in futurum expectandum tempus; præsens opportunitate suâ omnia futura vincit. Sanct. Gregor. Naz. or. in Sanct. Baptisma: fere, cum serendi tempus fuerit; & fruges comporta, & horrea solve, cum tempus hoc postulaverit: & tempeitivè planta; & uvam maturam detonde. Quin tibi & belli, & pacis, tempus sit; & amicitia, & diffidii; atque omnis denique rei. At verò salutis tuæ negotium semper age. Bæza antè cit.

*Pro justitia agonizare pro anima tua;*

*& usque ad mortem certa pro justitia.* Eccl. 4. 33. Verbum passivum *agonizare* quasi deponens, sumitur activè pro agoniza, certa, conflixe pugna. q. d. pro anima tua, scilicet ut eam salves, omnes vires exere; totòque conatu certa pro justitia: scilicet eâ contentione, & agone; quò moribundi in agone cum morte luctantur. In his enim natura; ut se, suamque vitam, tueatur, omne suum robur expromit: unde, multi è periculo mortis eluctantur, & vitæ restituntur. Aut potius *agonizare*, id est, acerrimè certa pro justitia, æquè ac olim pugiles in agone pro corona certabant usque ad mortem. Cornelius hic.

*Ex Novo, & aliis.*

*Nunquid ego sum Domine?* Matth. 26. 22. Cum Discipuli audjunt: *unus vestrum me traditurus est*, contristantur: quia, ut ait Sanct. Chrysol. hom. 71. in Joan. quòd ad unum perditio referebatur, hoc formidinem minuebat: sed quòd addiderat, unus ex vobis, simul omnes perturbabat. Ideo anxiantur: unus reus, unus damnandus erat; & omnes timent. In Mundo multi damnandi sunt; & vix est unus, qui timeat. Dixit Christus Matth. 7. 13. *multi sunt, qui intrant per eam*; & quàm pauci cum timore quarunt: *nunquid ego sum Domine?* Sanct. Chrysol. f. 1. de fer. 5. Pass. ò beati Apostoli! faciliùs vestra innocentia contristata, quàm penalis Jude audacia, quæ non est confusa. Sic plerumque probi magis timent perditionem, quàm scelera. Sylveira hic.

*Nemo mittens manum suam ad aratrum &c.* Luc. 9. 62. Tam ineffabiliter magnum est salutis nostræ negotium; ut omnia vana, & frivola, sint sine dilatione spernenda: nec aliqua temporis portio est infructuose, seu negligenter, expendenda. Dion. Carthus. hic.

*Fratres, magis satagite; ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem, faciatis.* 2. Petri 1. 10.

Exultat omnis creatura; collatur, & applaudit his, qui salvandi sunt. Orig. hom. 1. in Ezech.

## §. IV.

*Salutem tuam tu ipse tuò labore cura.*

**T**ollat unusquisque agnum per familias, & domos, suas. Ex. 12. 3. Cur unusquisque agnum tollere jubetur? Nonnè magis ad festum conduceret; si unus agnum sumeret, & cæteris omnibus pararet convivium? Etenim in tanto discrimine, ubi sacrificia agebantur salutis; optimum, ut quisque sibi agnum provideret; nec dependeret ab aliorum, etiam fratrum, convivio. Ita Nazianz. or. de Pascha mirandum non est, quòd maximè quidem per singulas domos agnus requiritur: quandoquidem optimum, sibi unumquemque ad per-

ad perfectionem sufficere; sequæ hostiam sanctam, vivamque, vocanti Deo offerre. Bæza t. 2. l. 10. c. 3. §. 13.

*Nos ipsi faciamus opus.* 2. Eldræ 4. 21. S. Bonavent. in spec. Virg. c. 11. bene aiunt edificantes, *nos ipsi faciamus opus.* Quod opus est nisi de quo Apostolus ait. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6. 10. Bene autem dicunt, *nos ipsi*; non nostri ficiarii. Unde alibi ait: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut DEI ministros.* 2. Cor. 6. 4. Sed oppones illud Jacobi 5. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Videtur significare: posse nos securos vivere, dum nos modò justorum precibus commiserimus. Respondet Sanct. Anastasius Sinaita de synaxi: junge clamorem tuum cum Sacerdote pro deprecante: da te ipsum pro tua salute. *Multum valet deprecatio iusti assidua, & efficax; sed efficax erit, si & tu cum Sacerdote partes tuas copules, fructusque poenitentia demonstres.* Did. Niss. Dom. 5. Pasch. §. 2.

*Ego ad Deum clamavi; & Dominus salvabit me.* Psalm. 54. 17. Hugo Card. ego non per Vicarium clamavi, sicut Canonici; qui per Vicarium cantant; & fortè per Vicarios salvabuntur. Sanct. Ephrem. de resurr. mortuorum: felix regio, felix civitas, felix generatio; quæ in se continet multitudinem justorum: feliciores autem iusti ipsi.

*Videns JESUS fidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. 2. Sanato dixit: *surgere, tolle lectum tuum; & vade in domum tuam; & sur-rexit, & abiit.* v. 6. Quærit Haymo, cur sanatum à se dimiserit? respondet: quia ipse non fuerat deprecatus pro salute; sed alii pro eo intercesserunt; noluit habere eum secutorem. Id. ferm. de siti Christi.

*Gaudium erit super uno peccatore poenitentiam agente.* Luc. 15. 7. Non gaudet coelum, quando peccator solâ ope precum alienarum vivit; sed dum ipse poenitet &c. Did. Niss. Dom. 5. Pent. §. 2.

*Mitte Lazarum &c.* Luc. 16. 24. *Preme digitum suum, & linguam meam.* Si tua est lingua refrigeranda, cur ejus digitum expectas? & non potius tuum exeris? Hæc est stultitia peccatoris: alienis operibus niti ad salutem suam propriam; alienum caput ad propriam elevare redemptionem. Petrus Cell. lib. de panib. conscientia de gravioribus confitens, non alterius, sed propriò digitò, velit amovere poenam. Id. ibid.

*Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. 28. Quia nostra est salvatio, nostra sit poenitentia. Non nitere alienis operibus, dum propriæ salutis negotium agitur. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 1. sect. 2. Obl. 3.

*Vade lava in natatoria Siloe-abii, & tavi.* Joan. 9. 7. 11. Felix homo, cui datum est; ut salutis suæ negotia ipse per seipsum *Polyanth. Sacr. Tom. II.*

perficiat; nulli illa committat. Quod insanissimum reputatur in discrimine vitæ temporalis, quotidie ab hominibus fit in summo æternæ salutis discrimine. Remittunt infelicissimi negotia animæ suæ in id tempus; quando vel ipsi morbo correpti vix verbum facere possunt, nec aggredi opus ullum; vel defuncti, in purgatorio nihil profus salutare sibi possunt efficere; sed omnia salutaria in aliorum diligentia fallibili, & incerto, constituunt. Bæza t. 2. l. 12. c. 3. §. 13.

§. V.

Salutis media.

Num. I.

Facilia, multa, in promptu.

*Quid facietis in die visitationis, & clamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium?* Is. 10. 3. Sanct. Basilius M. intelligamus sanè, cur sic dicat *de longè?* &c. salus nostra non à longinquo, sed è vicino nobis adest. Scriptum est enim: *propè est Dominus omnibus invocantibus eum.* Psalm. 144. 18. Did. Niss. D. 1. Pasch. §. 4.

*Amice, quomodo huc intrasti, non habens, vestem nuptialem?* &c. Matth. 22. 12. Cur Rex tam iratus; præsertim cum servi tam celeriter adesse coegerunt, quos invitabant; ut curandi vestitus honestioris non permitterent otium? Respondet Euthymius: in corruptibilibus nuptiis respondere quispiam, posset, quòd digna stola difficilis inventu foret: in his autem incorruptibilibus nuptiis ablata est omnis occasio: in proximo namque est ornatus, ac inventu facilis; si modò illum verè quaesierimus. Justè itaque illum ejicit, qui ornatus non erat, tanquam segnem, & negligentem. Did. Niss. D. 3. Pasch. §. 5.

*Joseph accessit ad Pilatum, & petiit corpus JESU.* Matth. 27. 58. gratis scilicet. At JESUS triginta argenteis venditur Judæis à Juda. Matth. 26. 15. Cur illic gratis, hic verò datâ pecuniâ? Joseph corpore JESU negotiatur æternam salutem; Judæi verò perditionem: salus autem gratis; perditio multis sumptibus comparatur. Sylveira c. 30. in Luc. 18.

*Ut cognovit.* Luc. 7. 37. Unde hoc illa intellexit? Cajetanus: nacta commoditas huic mulieri significatur ex accubitu JESU in domo Pharisæi, aut ex vicinitate, aut quòd in eadem domo, in alia tamen contignatione, habitaret. Hinc aestima, quàm propinqua sit homini salutis suæ occasio; quando Magdalena non procul exire necesse habuit; ut opportunum morbo suo antidotum reperiret. Sanct. Chrysologus l. 93. Dominicos pedes lavat lacrymis, crinibus tergit. Vacat ergo ab executione paupertas, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium Creatoris. Did. Niss. Dom. 1. Pasch. §. 4.

*Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus.*

Gggg 2

*plenus.* Luc. 16. 20. Quò consiliò Dei Providentia ordinavit; ut is mendicus proximus esset foribus domus divitis illius gurgitis? Respondet Sanct. Chryfologus f. 121. purpurâ, byssò, delicatis vestibus, epulis blandis, ferrea viscera crudelis anima nutrebat. At quid egit Dominus? humanæ, inquit, salutis avidus inquisitor, illum emollire cupiens; non tam Lazarum, quàm ipsum pietatis conflatorem, ejus projecit ad januam. Conflatorem dixi, propter ferrea viscera. q. d. ad ipsum vestibulum ædium illius, ob ipsos aded oculos, posuit Dominus occasionem remedii, & fornacem; in qua ferrum immanium viscerum suorum coquere, & transfundere in aurum pietatis, & misericordiae, possit. Did. Niss. ib.

*Jejuno bis in Sabbatho &c.* Luc. 18. 12. At Publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori.* v. 13. Phariseus vanitatis, & elationis, ventos emebat, & in perditionem suam sumptus faciebat Sanct. Chryfost. hom. de David & Saul: quot labores subeundi erant Phariseo, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo? At publicanus, cum nihil tale fecerit, simplici verbò omnem deposuit iniquitatem; idque sine sudoribus, & absque longi temporis mora. Sylveira c. 21. in Marci 15.

*Hic venit in testimonium.* Joan. 1. 7. Cur Christus Dominus voluit habere testimonium à Joanne? Sanct. August. tr. 35. in Joann. talis venit Christus, ut opoteret ei lucernam testimonii perhibere. Nunquid opus erat, ut Joannes, tanquam lucerna, perhiberet testimonium dei, si dies ipse infirmitates nostras posset videre? Secundo responderet Orig. tom. 2. in Joan. ut abundans esset via ad credendum: nam ad salutem non solum dat media necessaria; sed etiam cumulata exhibet. Fecit Christus D. tot miracula, & signa; voluit tamen testimonium Joannis. Sylveira hic q. 33.

*Stetit in medio.* Joan. 20. 19. Quàm propinquum, & ad manum, habet homo bonum sui remedii, & remedium omnis mali. *Stetit in medio:* ut doceret, quàm facile habere copiam illius possimus; qui semper in medium coctum se nostrum ingerit. Sic enim solemus dicere, in medio quidquam esse; quod promptum, & facile obtentu indicare volumus. Sanct. Ephrem lib. de linguæ malo: cuncta DEUS suo disposuit ordine; ut ad manum cuique sint, quibus ab inimicis se defendat. Instructus es ergo armis, ô homo, adversus quoscunque hostes. Hæc, tibi ad salutem concessa, si neglexeris, victus in die Judicii, quomodo teipsum excuses, non habebis. Did. Niss. D. 1. Pasch. §. 4.

*Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. 10. Magnam, filioli, per hoc Fidei nostræ videmus compendium; quando inter cor, & linguam, totum salutis humanæ versatur, & geritur Sacramentum. S. Chrysol. l. 56.

Alia aliis præfinita est tempestas: alia est enim sementis, alia messis; alia pacis, alia

belli; alia quæstus, alia feriarum: animæ salutis nulla non idonea; omnisque commodus dies; si velimus. B. Theodorus Studita f. 130.

DEUS salutem Electorum suorum sæpe promovere solet ex his, quæ ipsi omnino contraria salutis suæ esse arbitrantur, Blosius Instruct. spir. c. 8.

Num. II.

*Pessimum tuis abuti.*

*Habitavit in civitate illa.* Jos. 20. 6. Refugium habuit, qui extra civitatem deliquit: verum, si quis in ipsa civitate homicidium perpetrasset; jam illa civitas non erat immunitatis testera, sed discriminis causa. Naxera hic. §. 13.

*Arca DEI capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees.* 1. Reg. 4. 11. Et cur, cum tantò antea nimis percelluerit sententia, à sacrificiis non requirunt tutamen? Minatur Jonas Ninivitis c. 3. 8. illi tamen adversus Numinis iras opponunt penitentia lugubrem habitum. 2. Reg. 24. 25. Dei minister strictò gladiò peste populum absumebat; David pestis corruptionem facris victimarum ignibus purgat: *Otulit holocausta, & pacificia; & propitiatus est Dominus terræ; & cohibita est plaga ab Israel.* Cur Heli filii, ad avertendam Numinis iram, non quoque sacrificia offerunt? David non peccarat sacrificiò; at filii Heli sacrificia adulterata sunt in scelera: nam violenter auferebant aræ, quod offerrent avaritiæ. 1. Reg. 2. 15. *veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti &c. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* v. 17. Id. ibid.

David psallebat manu suâ: nisusque est Saul configere David lanceâ in pariete. 1. Reg. 19. 9. 10. Cur dæmon invidum contra unum Davidem commovet, ut de medio tollat? quia David cantu afferebat morbo medelam: remedium ergo nititur callidum dæmon in ægroti vertere damnum; ut exinde nulla ei superst spes salutis. O quoties in scelerum auxilia virtutis vertuntur arma! Id. ib.

Est & hæc perversitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamenta vitare; mori denique citius desiderare: nam & medicinæ præsidium plures refugiant, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi. Tertull. adv. Gnost. c. 5. Sed nondum hæc tora malignitatis vis explicatur: non solum medicina respuitur; sed in morborum fomentum convertitur. Sic medela transit in venenum, & salus omnino desperatur. Idem ibid.

§. VI.

*Salutis impedimenta tolle.*

*Nudaverunt tectum.* Marci 2. 4. Matth. 9. 2. Permittit Christus, ut per tectum paralyticus ad se descendat: quò doceat, nullum debere

debere esse impedimentum, quod accessum salutis impediatur. Sylveira in Matth. hic.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hæc eadem, quæ nutritur, morâ roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. 7.

Si illi, qui in mari navigant, saviente tempestate merces negligunt; & propriis manibus onera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; ac, nè navis pondere oppressa submergatur, eam sublevant; & pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem, ea despiciamus, quæ animam in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? S. Nilus lib. affect.

## Miscellanea.

*Ingrederere tu, & omnis domus tua &c.*  
Gen. 7. 1. Nam, licet multum à virtute iusti illius abfuerint, alieni tamen erant à gravioribus sui sæculi peccatis. Alias quoque ob duas causas salute potiti sunt. Una in honorem iusti: consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis; ut propter eos salventur & alii &c. S. Chrysof. hom. 24. in Gen.

*Novit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Pf. 1. 6. Quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est; non agnoscere, damnare est. Sanct. August. in Pf. 141.

## TITULUS VI. SALUTATIONES.

**H** *Eva.* Gen. 4. 1. Sept. *vita.* Ex Hebræo have, id est, *vive*; quæ vox est salutantis. Pro have Latini dicunt ave, Cornelius hic.

*Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth &c.* Luc. 1. 41. Charitas proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus, semper fovenda est. Unde angelis salutavit Mariam; Maria salutavit Elisabeth; Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulchro, dicens illis: *avete* Matth. 28. 9. Væ eis, qui, propter odium, salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolose proximum salutant; sicut Judas, cum dixit: *ave Rabbi.* Sanct. Bonaventura spec. B. V. c. 4.

In orientali Ecclesia, ubi quis per dies Paschales alteri sit obvisus, pro salutatione dicit: Christus surrexit à mortuis; salutatus responderet verè surrexit Dominus. Isidor. Clar. Or. 21. lib. 1.

Totâ Paschali septimanâ æquum foret, hoc pacto invicem salutaremur: surrexit Dominus; & salutatus responderet: Deo gratias. Beletus rat. offic. div. c. 116.

Quorundam salutato Sanctorum hæc fuit; ut, cum sibi occurrerent, prior salutando diceret: moriendum est; alter responderet: nescimus quando. Cornelius in Gen. 3. 3.

## TITULUS VII. SANCTI.

§. I.

Etymon.

**S** *anctum sanctorum est.* Levit. 6. 25. Sanctum à sancto venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum. Cornelius hic.

Sanctus Psalm. 10. 5. Id est, sanguine tinctus. Hugo Card. in Psalm. 10.

*Cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Psalm. 82. 4. Symmachus, pro *sanctis tuis contra occultum tuum.* Aquila: *contra absconditum.* Hebr. *adversus absconditos tuos.* Rectè Fideles, Dei dicuntur absconditi, qui sub umbra alarum suarum protegit eos.

Et quia *vita nostra abscondita est.*

Coloss. 3. 3. Bellarminus hic.

§. II.

Figure, &amp; Symbola.

Ex Veteri.

**P** *lantaverat Dominus DEUS Paradisum voluptatis.* Gen. 2. 8. Est Paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

*Numera stellas - sic erit semen tuum.* Gen. 15. 5. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 296. Notat posteros Abrahæ hic comparari stellis cæli: quia ex iis alii futuri erant sapientes, & sancti, cælestes, sublimes, & illustres; instar stellarum cæli.

*Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Psalm. 101. 15. Lapidés Sion, sunt Fideles militantis Ecclesiæ; firmi, & stabiles, in Christiana Fide: & nihilominus spe solidi, & persistentes, in charitate. Hi nimirum placuerunt servis tuis, hoc est, sanctis Ecclesiæ triumphantis. Gerfon hic.

Gggg 3

F. usi a